



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Thomae Młodzianowski, Polonie, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Metaphysica, Logica, Octo Libris Physicorum, Generatione, Corruptione
Et Anima

Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682

Punctum Difficultatis 2. Proponuntur variæ responsiones ad argumenta.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95667](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95667)

Ut autem pondus primi argumenti quod principale est in hac materia fundamentum examinetur, sit

Punctum Difficultatis 2.

Proponuntur Variæ Responſiones ad argumentum.

RESPONDENT primò aliqui: Sufficiens mutatio, quare forma & materia à non esse uniti tranſeant, est, quia materia, est materia in actu secundo, & forma, est forma in actu secundo.

CONTRA, impossibile est tranſire à non esse materiæ in actu secundo, ad esse materiæ in actu secundo, item à non esse formæ in actu secundo, ad esse formæ in actu secundo, sine ſufficienti mutatione, propter principium universale. Impossibile est tranſire à contradictorio &c. Sed niſi ponatur entitas modalis non erit ſufficiens mutatio ad istum tranſitum habendum; quod probo inquirendo, quæ sit hæc mutatio.

RESPONDENT, quia materia non tantum est ſibi & in ſe, ſed & alteri, hoc est formæ, forma item non est ſibi tantum & in ſe, ſed & alteri, hoc est materiæ, item quia materia & forma unſcunt, hoc est in homine homineſcunt, in bove boveſcunt, ſed redit argumentum, impossibile est tranſire à non esse ſibi & alteri, ad esse ſibi & alteri, à non esse homineſcentis, ad esse homineſcentis, ſine ſufficienti mutatione, quæ hæc mutatio?

RESPONDENT ulterius, tranſire v.g. materiam ad esse ſibi & alteri ſeiſpſa, ad eum modum, quo à non esse ad esse. Angelus tranſit ſeiſpſo. Sed redit argumentum, impossibile est tranſire à non esse tranſeuntis ſeiſpſo, ad esse tranſeuntis ſeiſpſo, ſine ſufficienti mutatione propter receptum principium impossibile est &c. ſed niſi ponatur entitas modalis non ostendetur ſufficiens mutatio, ad tranſitum à non esse tranſeuntis ſeiſpſo, ad esse tranſeuntis ſeiſpſo, quæ enim illa? videantur dicta de modis, Instantia adlata de Angelo pro nobis est. Quando Angelus à non esse exiſtentis ad esse exiſtentis tranſit ſeiſpſo, est mutatio facta in entibus, quia de novo producitur entitas Angelus: ſi ergo tu taliter ſeiſpſo tranſiri à non esse uniti ad esse uniti cenſes, admittis novam entitatem. Denique tunc ſeiſpſo tranſitur à non esse ad esse, Imprimis, quando est nova tunc pullulans entitas. Deinde quando illo poſito hoc ipſo indiſpenſabiliter tranſitur, à contradictorio ad contradictorium, de quo quaeritur, in cluſa illa ſufficientia in ipſo ente ſeu esse, apparet enim quòd ipſi esse, inſit vis denominandi, & ſic ſeiſpſo tranſitur à non esse exiſtentis, ſeiſpſo autem non tranſitur ad esse ſimilis, niſi ponatur altera qualitas, ſi ſit ſimilitudo in qualitate, idque ideo, quia illa ſufficientia non est incluſa in ipſo esse, cum poſſit esse qualitatis esse, & non eſſe, ſimilitudinis eſſe. Jam autem non hoc ipſo, quia ponitur entitas materiæ & formæ, habetur tranſitus ad esse uniti.

RESPONDENT ſecundò alii, quæ reſponſio est continuatio prioris. A non esse uniti ad esse uniti, vel ſecundum Phraſes immediate poſitas, à non esse tranſeuntis ſeiſpſo, ad esse tranſeuntis ſeiſpſo tranſiri per novam formalitatem, ſeu modum eſſendi appropriare dictum. Quod ipſum ſic aliter proponitur. Duplex poteſt eſſe tranſitus ab uno contradictorio ad aliud, unus à non esse ſimpliciter ad esse ſimpliciter, vel ab esse ſimpliciter, ad non esse ſimpliciter, ut cum Angelus creatur, à non esse ſimpliciter, tranſit ad esse ſimpliciter, vel cum annihilatur, tuncque ab esse ſimpliciter, tranſit ad non esse ſimpliciter, & in tali tranſitu debet eſſe mutatio in entibus, vel non entibus. At verò datur alius tranſitus ab uno contradictorio ad aliud, per quem aliquid tranſit, tantum à non esse ſecundum quid, ad esse ſecundum quid, vel è contra, ut ſit in generatione, nam materia abſolute poſuit exiſtere ſine forma, tantumque tranſit à non esse habentis formam eſſe habentis formam, &c. & in tali tranſitu, non eſt neceſſe fieri mutationem in ipſis entitatibus, ſed in entibus ſecundum quid, ſeu formalitatibus, ſeu in modis eſſendi, formaliter diſtinctis ex natura rei à ſuis entitatibus, quibus identificantur, qui etiam modi eſſendi, non tribuunt eſſe rebus abſolute & ſimpliciter, ſed aliter eſſe ſecundum quid, quàm ante fuerint, & denominari de novo.

CONTRA eſt. Tum quia redit argumentum factum, impossibile eſt tranſire à contradictorio non habentis novam formalitatem, ad esse habentis novam formalitatem, denominationem, modum eſſendi appropriatè dictum, ſine ſufficienti mutatione, at quæ hæc mutatio? & certè, ad formalitatem relationis ſimilitudinis, de novo habendam, tranſitur poſitione albedinis v.g. in altero pariete, ad denominationem & formalitatem inæqualis, vel deperditione, vel acquisitione entitatis, & ſic de reliquis, quæ autem eſt mutatio ad habendam novam formalitatem unionis? Tum quia univerſaliter loquendo diſtinctio ex natura rei, quam ſupponit hæc doctrina nulla datur. Tum quia ad tranſitum à non esse ſimpliciter, ad esse ſimpliciter, requiritur mutatio in entibus, vel non entibus. Ergo etiam & ad tranſitum à non esse ſecundum quid, ad esse ſecundum quid; non eſt enim major ratio unius, quàm alterius. Tum quia tranſitus à non esse relati, ad esse relati, eſt tranſitus ſecundum quid, & tamen requirit ſi fortè non niſi unus paries ſit albus, ut etiam alius dealbetur, quæ mutatio eſt in entibus. Ergo immeritò aſſumitur, mutationem in hoc tranſitu non debere eſſe in entibus. Tum quia illa formalitas, & non eſt entitas modalis, & eſt entitas modalis, non eſt, ut ſupponunt oppoſiti, eſt autem entitas modalis, ut probatur, eſt enim terminus immediatus veræ actionis realis, quæ eſt generatio, habet entitatem ſuam ſecundum quid, & pro-

prout condistinguitur ab extremis non est nihil, habet suam existentiam propriam, voca illam ut vis, non nisi distinctam formaliter ex natura rei, quid illi deest ita distinctæ, ne habeat existentiam consimilem modis, cum etiam distinctio modalis saepe à Suar. Ovied. & aliis appelletur distinctio ex natura rei, videntur enim hæc duo, talis scilicet formalitas & modalitas, verbis differre. Tum quia formalitas illa prout distincta nemine cogitante ab extremis est, est secundum quid ens, ut ex verbis respondentis colligitur, & tamen dicitur identificata extremis, ut videre est in textu Responſionis, magis autem repugnat, duas entitates quasunque identificari realiter, quàm duo entia simpliciter, nam ex duplici titulo in prioribus est repugnantia identificationis, & ex titulo distinctæ entitatis, & ex titulo secundum quid, qui magis distat à ly simpliciter, quàm ly simpliciter ab alio, ly simpliciter, hinc magis repugnat accedens, quod est ens secundum quid, identificari substantiæ, quàm substantiam substantiæ.

Denique videntur hac doctrina convelli duo Principia, luminis nature nota.

PRIMUM. Quod semel est identificatum, semper est identificatum, quod principium à respondente convellitur, nam formalitas identificata alicui Enti perit, manente eo, cui est identificata. Neque valet si dicas, manere in re illam formalitatem non manere formaliter, redit enim argumentum illud ipsum formaliter, est identificatum realiter & nemine cogitante, quomodo ergo non manet illud formaliter nemine cogitante, manente eo cui identificatur.

SECUNDUM principium convellitur quod semel non est identificatum, non potest postea identificari, nam idem esset idem & non esset idem. Siquidem ex non idem, fieret postea idem. Quod ipsum sic proponitur. Ante identificationem non erat hoc idem, sed distinguebatur à non identificato, post identificationem est idem, quia hoc ipso non est identificatum. Ergo idem evadit non idem, & non idem, evadit idem. Si autem non erat idem formalitas unionis cum existente materia, & cum existente forma, & postea evadit idem, quomodo ex eo, quod non est idem, non evadit idem.

RESPONDEBIS, quod accedens illa formalitas, licet sit idem realiter, non est idem formaliter.

CONTRA, Hoc ipsum quod non est idem formaliter, est adhuc nemine cogitante idem realiter, præfuitque nemine cogitante. Quid ergo advenit quod sit nemine cogitante.

RESPONDEBIS, advenire quoad id, quod est nemine cogitante formaliter, etsi distinctum ex natura rei.

CONTRA erit. Illud distinctum, illud nemine cogitante, illud formaliter ex natura rei adveniens, si jam præfuit realiter, nemine cogitante,

quid est nisi aut mera concepta formalitas, aut merum nomen, & sicut si nemine cogitante & realitas panis & formalitas quoad esse reale spectata poneretur in Eucharistia, sed tantum diceretur abesse formalitas panis, ex natura rei sumptus, nihil minus esset de pane nemine cogitante; ita si illa formalitas ex natura rei nemine cogitante adveniens, jam præfuit quoad suam formalitatem quoad rem, si præfuit illud ex natura rei, quoad suum esse reale, si illud nemine cogitante adveniens, præfuit nemine cogitante reater, quid rogo advenit?

RESPONDETUR tertio. Sufficientem mutationem quare à non esse uniti ad esse uniti tranſcant materia & forma, esse, non ipsam unionem, quæ importet modalitatem superadditam, sed ipsam actionem eductivam formæ. Universalius, ne procedat hæc responſio de solis unibilibus, quæ, constant forma materiali; sic aliter proponitur quod scilicet à non esse uniti ad esse uniti tranſeat ipſa actione unitiva, de qua ipſa sic discutitur. Duplex invenitur actio substantialis, quædam productiva, & hæc semper debet habere novum terminum absolute & simpliciter, ut sit, dum v.g. creatur Angelus; alia verò est actio compositiva substantialis, quæ cum sit illa, vi cujus ex duobus entibus præexistentibus fiat unum, seu compositum, quod compositum non est absolute distinctum ab iisdem partibus, proinde etiam non debet correspondere tali actioni novus absolute & simpliciter terminus substantialis, sed secundum quid, neque enim vitalis actionis res aliqua tranſit à non esse simpliciter, ad esse simpliciter, sed tantum à non esse secundum quid, ad esse secundum quid. Porro illius actionis compositivæ duplex adhuc terminus assignari potest, nimirum totalis, & hoc est ipsum compositum, quod est novum, cum antea non fuerit in ratione compositi acceptum, alter autem terminus formalis & immediatus, & hic est novus modus essendi, v.g. Materia quatenus actu seipsa recipiens formam. Quod autem actio possit terminari ad formalitatem aliquam, ratio est, quia motus terminatur ad ubi, potest item divinitus fieri penetratio duorum corporum, & tamen penetratio non produci-
tur.

Quod attinet ad illam doctrinam de eductione formæ.

IMPUGNAT primò hanc responſionem Hurt. sed ejus rationes videbis solutas hic apud Oviedon. 15.

IMPUGNAT secundò Oviedo, quia si unio identificaretur actioni eductivæ, mutata actione mutaretur & unio, & cum post instans generationis mutetur actio, nam in secundo instanti à Deo solo conservatur, & in primo instanti influebat in formam causa secunda, hinc post
in-

instans generationis mutabitur & unio, si autem mutabitur unio, mutabitur & compositum, quia compositum importat necessariū unionem.

RESPONDERI potest, non mutari compositum, quia non mutantur partes ejus substantialiter materia & forma, mutatio autem talis penes substantialia attendi debet. Et quamvis importetur unio à composito, importatur in quantum unio, est ipsamet materia & forma simul sumta, non in quantum unio importat aliquid extrinsecum, qualis esteductio.

IMPUGNAT tertio idem. Actio quæ producitur forma est accidens, est enim essentialiter propter terminum, nec intenditur propter se à natura, sed propter terminum, si est accidens, non potest esse de essentia compositi, nam id secundum totum suum esse debet esse substantiale.

RESPONDETUR, quod unio secundum quod dicit in recto debeat esse substantialis, non secundum connotata. Deinde non est necesse, ut majori titulo dicatur unio substantialis, quam cum generatio remotè & pro alterationibus accepta dicitur substantialis, scilicet terminative.

IMPUGNAT quartò Recentior Suar. si generatio passiva esset unio, omnis generatio passiva, esset unio, non enim est ratio major de una, quam de alia, sed falsum est, omnem generationem passivam, esse unionem, nam modi verè generantur, & tamen non per generationem, sed seipsis uniuntur, aliàs si seipsis non uniuntur, possent divinitus existere, separati à suis realitatibus.

RESPONDETUR. Imprimis Nominalistæ negando modos, negabunt eosdem generari, sed concessis modis non convincit argumentum, dici enim potest omnem generationem entis Rati materialis, esse unionem, quamvis non absolute omnis entis, præcipue cum non teneat argumentatio ab ente rato ad ens modale, imò hoc ipsum, quod adfert Suar. pro disparitate adferri potest, quia scilicet aliàs possent modi existere, sine modificato.

IMPUGNAT quinto idem. Generatio passiva includit duo, dependentiam à subjecto, & receptionem in illo, sed unio neque est dependentia à subjecto, neque receptio in illo, quod ipsum probat, unio animæ rationalis est unio, & non est dependentia à subjecto. Rursus Modus est dependentia à subjecto ut subjecto, & tamen non est unio. Ergo unio non est ista dependentia. Receptio etiam non est unio, quia partes continui uniuntur, neque tamen una recipitur in alia.

RESPONDETUR. Probabile est, quod unio animæ rationalis sit materialis, consequenter poterit esse dependens à subjecto. Rursus omnes modi cum importent non posse existere sine

subjecto, sunt in re unio sui cum subjecto, ut passim Modalistæ volunt, quantumvis nomen unionis appropriatum sit unioni extremorum rationum. Falsò item assumit, quod partes continui uniantur unionem superadditâ. Quando autem idem addit quod dependentia à termino, quam habet ratio, non sit unio, adeoque nec dependentiam à subjecto, quam dicit forma, esse unionem, id etiam non convincit, quia unio inter ea dici debet intervenire, inter quæ est compositio, & cum inter extrema relationis non sit compositio, dependentia illa, non debet vocari unio. *Hinc aliter*

CONTRA hanc eductionem est. Tum quia vel ponis eductionem, actionem importantem novam modalitatem, vel non ponis? si non ponis, redit argumentum, impossibile est transire à contradictorio ad contradictorium sine sufficienti mutatione: ergo & à non esse actionis eductivæ, ad esse actionis eductivæ, at, quæ hic mutatio? Si autem ponis eductionem esse actionem importantem modalitatem, quæ, posita eductione vel potest Deus facere miraculosè, ne forma educta uniatur, vel non potest? si non potest, cur? nego enim ipsam eductionem esse unionem; si non potest, Ergo eductio, non est ipsa unio. Tum quia, si non implicat, potius assignari debet ea ratio unionis, quæ sit respectu quorumcunque compositorum universalis, eductio autem non est ratio universalis respectu quorumcunque unibilium, quia non convenit animæ rationali.

Quod attinet ad illam actionem compositivam non productivam.

CONTRA est. Tum quia impossibile est transire à non esse actionis compositivæ ad esse actionis compositivæ, sine sufficienti mutatione; at, quæ hic mutatio? cum nihil noviter addatur Materiæ, nihil addatur Formæ, manetq; eadem difficultas de illa actione ac de formalitate ex illa pullulante. Tum quia, quamvis possibile sit, ut actio identificetur termino, ut fortè contingit in omnibus actionibus vitalibus, est tamen impossibile, ut sit vera actio & nihil producat, non habeatq; terminum. A quo termino, si non distinguitur realiter modaliter, saltem debet dari Entitas, cui identificetur? cui autem illa actio compositiva, ut supponitur nova, identificatur? quid illic de novo producit, cui sit actio, quid identificatum? Tum quia concedimus, compositum non esse distinctum realiter à partibus simul sumptis & unitis, sed restat quærere, per quid transeat ad illud esse compositi? inveniendūq; illud principium, quod omnis actio debeat aliquid agere habereq; terminum, cui saltem identificetur realiter, negandum erit dari ullam actionem veram compositivam, quæ interminata ad materiam, formam, modalitatemq;

† t

temq; aliquam, terminetur tamen ad ipsum compositum.

Punctum Difficultatis 3.

Continuatur Propositum.

RESPONDETUR quartò, sufficientem mutationem, ob quam materia & forma à non esse uniti ad esse uniti transeant, esse intimam præsentiam in circumstantia dispositionum prærequisitarum. Porro ipsam indistantiam non volunt esse talem; qualis est distantia locati à loco, sed indistantiam, quæ intimitatem adferat, qualem intimitatem dicit Deus ad creaturas, dicerent item duo corpora, si se penetrarent, puncta item se tangentia.

IMPUGNAT primò, hanc responsionem Oviendo, quia si unio consisteret in indistantia, seu in præsentia utriusque extremi, sequeretur, quòd quotiescunque homo moveretur, sicut acquirit novam præsentiam ita acquireret novam unionem, in approximatione consistentem.

RESPONDETUR, quòd scilicet per motum localem non acquirat novam præsentiam materia & forma inter se, sed tantum acquirant præsentiam ad extrinsecam, & sicut sedens in equo respectu equi eandem præsentiam habet, quamvis respectu aliorum aliam, ita & materia respectu formæ. Deinde à respondentibus requiritur indistantia non merè localis, sed indistantia cum certa intimitate, quæ per solum motum localem non acquiritur.

IMPUGNAT secundò idem. Si unio in approximatione consisteret, sequeretur unam formam substantialem, non expellere aliam, possunt enim inter se penetrari, nam non adferunt proprias quantitates, & impenetrabilitas illis, non nisi ratione quantitatis competit; si ergò se penetrarent, cum sint futura proxima & indistantes ab eadem materia, informabunt illam.

RESPONDETUR. Non quomodocumq; in approximatione & indistantia sitam esse rationem unionis, sed in indistantia & dispositionibus materiæ, quæ non sunt in materia, nisi pro una forma, determinatioq; alterutrius penderet à Deo, & utraq; quidem haberet indistantiam localem, sed non nisi una determinabilis à Deo intimitatem explicatam.

IMPUGNAT tertio. Si unio consisteret in materia & forma sumptis cum indistantia & dispositionibus, vel illa indistantia & dispositiones haberent se per modum merè extrinsecæ ad unionem, ita scilicet, quòd unio in sola materia & forma consisteret, vel per modum alicujus ad unionem spectantis, si per modum extrinseci, sequitur, quòd quotiescunque ponitur materia & forma indistantes, toties poneretur & unio, cum non nisi in indistantia materiæ & formæ staret; si

autem aliquo modo dispositiones spectant ad rationem unionis, contra erit, quia potest materia uniri miraculosè formæ sine dispositionibus, & materia prima Beatissimæ habuit ad animam Christi dispositiones, & tamen illi unita non est, quantumvis illi fuerit intimè præsens.

RESPONDETUR, Non convincere hoc principium, quasi non possit aliquid extrinsecum esse tale, ut sine ipso non possit aliquid esse, nam terminus, est quid extrinsecum relationi, etiam Transcendentali, & tamen sine eo, non potest esse relatio, Organisatio corporis perficitur per accidentia, sine ullis formis partialibus substantialibus, & tamen sine illis, non potest esse compositum humanum. Deinde aliqua forte dispositiones requiruntur ad uniri. Materiæ primò, quæ non requiruntur posita jam unione; hinc corpori Beatissimæ, nò potuit uniri anima Christi, cumq; defacto fuerit unita corpori Beatissimæ, anima ejusdem, non habuit vim uniendi se ejus corpori, Anima Christi. Denique supponit arguens, quacunq; indistantia formari rationem unionis, quòd negant oppositi, unde quamvis concederetur Beatissimæ animæ indistantia localis à Corpore Christi, posset nondum esse unio ob defectum intimitatis. *Hinc aliter*

CONTRA Responsionem est, Tum quia, Concedo quidem ostendi ratione dispositionum mutationem, sed nego illam esse sufficientem, quia hæ dispositiones vel sunt tales, ut illis positis impossibile sit non sequi unionem; vel certè illis positis possibile est non sequi unionem; non secundum; quia hic queritur de tali ratione; quæ posita sit impossibile non sequi compositum; & quæ sit objectum volentis Dei, ut ex non unito, fiat unitum; objectum autem hujus voluntatis Dei, debet esse tale, ut sicut impossibile est frustrari voluntatem, Dei volentis, ut ex non unito fiat unitum, ita etiam, ut impossibile sit illud objectum non inferre rationem uniti; non etiam potest dici primum, quia omnium formarum effectus, qui non sunt formales primarii, sunt impedibiles, sed indistantiæ & dispositionum effectus formalis primarius non est unire, sed tantum disponere ad unionem, & sicut disponere ad gratiam, non est gratum facere, disponere ad formam ignis, non est ignire, ita nec disponere ad unionem, erit unire, Deinde si posita indistantia, & dispositionibus, impossibile est non sequi unionem; istæ dispositiones non possent poni, quin ponantur extrema unibilia, licet possint poni extrema unibilia sine illis dispositionibus, hoc autem est formalissimè admittere modos. Tum quia specialiter contra indistantiam urgendo, quæro per hanc indistantiam, vel intelligis solam præsentiam localem, vel aliam intimitatem penitiorum? Si primum, quæro, vel in illa ipsa statuitur unio-